

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

II. De bonitate religionis, et quorundam religiosorum pravitate.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

II. DE BONITATE RELIGIONIS, ET QUORUMDAM RELIGIOSORUM  
PRAVITATE.

V. II.

NOMEN Religionis, [quam] venerabile [es] super omne nomen sæcularis gloriæ! Jesus Christus in omni vita et moribus suæ conversationis tam fideliter glorificavit te, quod omne nomen magnorum qui sunt in terris veterascet a gloria sua. Nomen vero Religionis exaltabitur juxta quod hic spiritualiter vivitur et bonis moribus humiliter sanctificatur. Veremirabiliter, singulariter et in sanctitate excellenter exaltabitur; fratri Jesu et sorori Mariæ conformabitur, qui primo Religionis nomen in multa despectione extrinsecus et in *verissima sanctitate intrinsecus fidelissime* extulerunt. Sunt autem quidam Religiosi qui tam sancto incessu, tam profunda incurvatione extrinsecus se perornant, [et coram hominibus tam pulchra verba prætendunt,] ut veraciter æstimari oportet quod per Spiritum Sanctum regentem intrinsecus ista fiant. Non est autem hoc aliqua vera sanctitas, sed fraudulenta tentatio, qua homo cupit esse sine labore famosus, cum non sit in ore ejus Spiritus Sanctus, sed fallax et dolosus. Hujus rei experimentum hic accipe; fit enim apud domesticos crudelis ursus et fremens leo, inter quos deberet esse agnus mansuetudinis et columba virtutis et *simplicitatis*. Et est vita talium coram Deo et hominibus fallax officium, et coram familiaribus nocivum et perniciosum mendacium. Væ tibi, infelix avaritia, valde te odit anima mea, nam tollis a charissimis meis [sororibus] internam Dei dulcedinem et externam cum proximis societatem amabilem, quæ ipsas præparare et in lectum sponsi debuerant introducere; hæc induras intrinsecus et impias reddis extrinsecus, quod religionis verba quæ audiunt, mox despiciunt et pervertunt, eisque Sancti spiritualia dicere non præsumunt.

Oportet te, soror dilecta, sensus habere compositos, ut bonæ voluntatis efficiatur cor tuum, et dilatam animam ut capere valeat influentem gratiam. Si sine consilio et necessitate sustentationem corporis tui dilataveris, altitudine divini

sensus profunditateque fluentis Dei dulcedinis particeps nunquam eris. Magna enim verecundia et indisciplina reputatur, et est confusio, quod sponsa regia voluntarie volutatur in luto.

Eia, soror, cum ex debito orare debueris, præbe cor tuum totaliter Deo, et dic: Domine Jesu Christe, hæc hora tui solius deputatur servitio, et Ecclesiæ tuæ, et peccatorum, et in purgatorio detentorum instituta est consolatio. Omnem cordis mei virtutem offero tibi hodie, ut tu, Domine, ad gloriam tuam secundum desiderium meum eis suffragari digneris, et concede mihi ut te <sup>1</sup> veraciter cognoscam; tunc primum *pie, utiliter* anima mea conturbabitur ad meipsam.

Cum autem, [dilecta soror,] ad opus accedere debueris, signa te *signo crucis* et dic: Domine, hæc hora tua est, et mea; auxiliare mihi, Jesu benigne, ut animam et sensus meos sic in te infigam et involvam, ne avaritiæ absorbeat me profundum; solet enim animas industrias invadere et tentare; quod si sapientiam, quæ desursum est, inveneris, nulla te pravitas vel malitia decipiet vel subvertet; nam in gratia, quæ a Deo fluit in corda ad ipsam suspirantia, invenitur veritas et discretio agendorum. Facile coram hominibus imago bonitatis assumitur; quæ si [veritas] defuerit, serpentium virus mortalibus propinatur. Purifica cor tuum interiorius, et ne ostentes exterius, tunc eris cum Deo familiaris.

### III. DE VIRTUTE ORATIONIS.

V. 13.

**O**RATIO quæ ex tota virtute cordis promitur coram Deo magni ponderis æstimatur; nempe: cor amarum dulcificat, triste lætificat, egenum ditat, stultum informat, pavidum confortat, fragilem fortificat, cæcum illuminat, frigidum accendit, Deum altissimum trahit in cor parvi *summum*, famelicam mentem elevat ad Deum *vivum fontem*: conjungit duos charissimos, Deum et animam, in loco amœnissimo, ubi inter eos multa est de amore collatio. Væ mihi infelici!

1. me. *Ex teutonica lectione.*